PRAECEPTVM S.MI D. N. D. CLEMENTIS PAPAE VIII.

Contra recurrentes ad Tribunalia ſecularia, pro ordine Carmelitarum.



CLEMENS PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

QVONIAM Noſtro Paſtorali potiſſimùm incumbit officio, vt ea, quæ per regulares perſonas contra eorum regularia inſtituta temerè attentantur, quantùm nobis ex alto conceditur, opportunis remedijs compeſcamus, & amoueamus. Proindè quia nuper dilecto filio Magiſtro Henrico Siluio Henrico Priore Generali Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, non ſine animi noſtri moleſtia referente accepimus, quòd nonnullæ dicti Ordinis etiam vtriuſque ſexus regulares perſonæ, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, vt in eorum malefactis, & inobedientia ſe diutiùs confoueant, ab ijs, quæ per Prælatos eiuſdem Ordinis, & Priores Prouinciales, & alios Superiores ab ipſo Priore Generali pro tempore deputatos, acta ſunt, & decreta, ad tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere conſueuerunt, in non modicum Iuriſdi-
ctionis ipſorum Superiorum læſionem, & regularis inſtituti alterationem, ac ſcandalum plurimorum. Nos præmiſſis obuiare volentes, Vniuerſis, & ſingulis dicti Ordinis vtriuſque ſexus regularibus perſonis, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus, eisq; ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquàm in mortis articulo, abſolui poſſint, necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tàm actiuæ, quàm paſſiuæ eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis diſtrictiùs inhibemus, nè ad ipſa Tribunalia ſæcularia quouis prætextu, aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præſumant: ſed ſi ſe à P[illegible] gra[illegible] [illegible] Prælatis grauari prætendant, ad Priorem Generalem ipſiùs Ordinis, ſeù illiùs Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, ſiuè Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem Supremum in Eccleſia Dei Iudicem, ſicut antiquitùs ſemper facere conſueuerunt, recurſum habeant, Vndè illis breui manu Iuſtitia miniſtrabitur. Volentes, & ita declarantes, quòd nedùm dicti Ordinis Regulares perſonæ contrafacientes verùm etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & conſultores, *eaſdem pœnas eo ipſo omninò incurrant*. Decernentes irritum, & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoquàm *quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter con*tigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ, Apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, Die xx. Septembris. M. DCIIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

M. Veſtrius Barbianus.

ROMÆ, Apud Impreſſores Camerales. M. DCV.